



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Meditationes Et Recollectiones Animæ, Per decendialia
Exercitia Deo suo Vacaturæ**


Finetti, Bernardo

Augustæ Vindelicorum, 1690

Reverendissimo Et Amplissimo Domino Ac Patri, D. Leopoldo, Celeberrimæ
ac Regiæ Cartusiæ Maurbacensis in inferiore Austriâ Prælato;
ejusdemq[ue] Sacri Ordinis per Germaniam & Poloniam Visitatori ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60556](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60556)

✻) o (✻



REVERENDISSIMO ET
AMPLISSIMO DOMINO
AC PATRI,

D. LEOPOLDO,

Celeberrimæ ac Regiæ Cartusiæ
Maurbacensis in inferiore Austria
Prælato; ejusdemq; Sacri Ordinis
per Germaniam & Poloniam Visi-
tatori Generali, Sac. Cæs. Majest.
Confiliario.

*Adm. R^{do} Religio Spectabili &
Clarissimo Patri Vicario, ac cætero
inçlyto Maurbacensium Cartu-
sianorum Conventui.*



Non ego ad sacros Cartusiæ
Vestri secessus auderem impor-
tunum pedem inferre, nisi id &
meo, & præsentis libelli mei Jure
facerem. Meo quidem Jure, dum Ponti-
ficiis

) (2

ficiis Constitutionibus *in Extravag. Comm. de Regul. & transf. cap. Viam ambitiosæ* fancitum est, ut cuivis Religioso ad Cartusiam pateat accessus. Hic, quem fero, Libellus, id Juris sibi vendicat, dum ipsiusmet Naturæ legibus firmatur, ut res quævis creatæ ad nativa sibi centra & locos destinatos contendant. Solitudinem spectat contemplatrix Libellus iste, & ad solitudinem toto conatu anhelat; reperturus ibi asylum, quod inter Mundi turbas negatur. Ad quam ergò Solitudinem securius se conferat, nisi ad Cartusianorum, quos summum in tetrīs Oraculum Cœlestinus III. *Epist. ad Cartus.* pronuntiat, *esse in contemplationis arce procul à terrenorum tumultu semotos?* Vel ex hoc solo capite gloriosissimum Cartusix Fundatorem, S. Brunonem, rectè cognominavit Thomas Bosius *l. 22. de Sign. Eccles. c. 35. Virum de Cælo lapsum*; cùm construendæ huic arcis nullus è terrâ partus sufficere potuisset. Ut proinde Insigni Ecclesiæ S. Quintini Bellovacensis assentiar, *solum Brunonem Mundo renuntiâsse*; solus enim adeò perfectè Mundum calcavit, ut cæteris Religiosis omnibus palmam præripiat, eosq; in conscendendâ sacrâ solitudine tantundem superet, quan-
tùm

tum solent inter Viburna Cupressi. Non potuit non in oculos Libelli mei incidere Cartusia, & intra Cœlestes ipsius latebras confugere, ut quæ, vaticinante Hieremiâ, *levavit se super se*; cum mens humana, silentii limitibus undiq; circumclusa, in superiora sublimis erigatur, fontis vivi more, qui, dum per alvei meandros hinc inde evagari non finitur, excrescentibus undis in altum erumpit.

Spero proinde, inclytam Cartusiam Maurbacensem omninò admissuram, ut & meo Jure, & Libelli titulo munitus, subintrem; unaq; meum illud litterarium pignus ad Reverendissimæ Dominationis Væ & Adm. RR. PP. VVum limina deponam. Et siquidem Paternitates Vestræ ex Alexandri III. effato, *vitam solitariam eligentes, Divine contemplationi arctius intendant, Epist. ad Cartus.* omninò mihi polliceor futurum, ut Libellus iste arcto Cartusix complexu stringatur, cum sit totus ad persuadendam sacram solitudinem, & formandas Divinas contemplationes compositus. Si, eodem Summo Pontifice teste, neminem lateat, *quanto desiderio, quantoque amore Cartusiani Fratres Divinis intendant obsequiis, & incessanter*

santer superna Meditationi proposuerint vacare. Epist. ad Viennens. Archiep. non tantum nullam libello meo repulsam à Cartusianis timeo, sed supernas, quas continet, Meditationes incessanter ab iis accipiendas, verandasque auguror. Si, asserente Alexandro IV. *Cælestis amor Patria mentes vestras sic allexisse perspicitur, ut quasi hoc solum delectationem vobis tribuat, quod Divina voluntati sit placitum, & salutem proferat animarum.* Ep. ad Cartus. non poteritis non delectari hoc Volumine, quod nihil ita promovere fatagit, nisi assiduam cum Divinâ voluntate symmetriam, & interni hominis integritatem.

Divina contemplatio, è S. Macharij sententiâ, gemma est, à solo Cælo suam recipiens speciem, soloq; gaudens æthere. Quo ergò convenientius tendat Martaceus iste Divinarum contemplationum fasciculus, atque ad Cartusiam, de quâ Albertus, Austriae ac Styriae Dux, in diplomate confirmatae Cartusiae Gemnicensis, Anno 1357. pronuntiavit: *Sanctum Cartusensem Ordinem, à sede Apostolicâ inter ceteros Ordines specialiter privilegium, ac multipliciter commendatum, tanquam singularem & pretiosam margaritam*

ritam in toto thesauro Sanctæ Matris Ecclesiæ reperimus. Cui elogio minimè secundum illud Innocentii VI. Pontificis Maximi; *In-ter cunctos Religionis Monasticæ Professores, quibus, veluti rutilantibus margaritis, militans corruscat Ecclesia, vestri Cartusien- sis Ordinis candidi Nazaræi splendore illustrant eximio Ecclesiam memoratam.* Divina contemplatio sub Aquilæ schemate à Symbolographis repræsentatur, ut quæ oculos suos non nisi in æternum Solem defigit, terrena omnia fastidians. Quo ergò nisi ad Cartusie Aquilas convolet libellus meus? Ita enim præconijs vestris nunquam satur Clemens IV. Pontifex Maximus, *Epist. ad Cartus.* affirmat: *Cartusiani, Aquilarum more, nidum suum in arduis posuerunt, deliciarum hortum, squallentis Eremitæ solitudinem arbitrati; ubi lectionibus, orationibus, & contemplationi vacantes, solitudine Marthæ sepositâ, subsederunt ad pedes Domini cum Mariâ.* Divina contemplatio omne cum effreni Mundo commercium averfatur, certisque limitibus claudi cupit, & solitudinem instar munitimenti habet, ubi suas Divini amoris flammæ secure Cœlum versus eiaculetur. Ut adeò à scopo suo longè aberrâset libellus

meus, si aliò, quàm ad D. Brunonis patrocinium aspirâisset; veluti qui, pro amplissimis suis in Fidem Orthodoxam meritis, ab Ecclesiâ Carnotensi nuncupatur *Murus Ecclesiæ, Flos Patrum, semita Justitiæ, lux & speculum Mundi, sublime cacumen*. Imò Gregorius X V. singulas Cartusias vult esse *Christiana Pœnitentiæ castra, invictumq. exercitum, qui præclaras de inferis per duellibus victorias reportat*.

Fuère, qui Cœlestium contemplationum, sive incuriâ, sive injuriâ, criminabantur, eas Ecclesiæ Catholicæ ac proximorum salutis esse inutiles, ac è virtutum censu eliminandas. Hanc notam in Eremito Cartusianâ sibi tanto minus inurendam vereri debet hic ad pedes vestros demissus Liber, cum compertissimum ubique sit, quantos fructus in Republicâ Christianâ protulerit omnium Contemplativorum Magistra ac Dux Cartusia; quæ otium sectatur, omni negotio venerabilius. Sive enim suffragia & Orationes, sive scientias ac studia, sive vitam & exempla spectem, cumulatissimos undique in Ecclesiæ Horto fructus deprehendo, quos Cartusiana solitudo procreavit. Quantum sacras ad Deum preces ac suffragia concernit,

nit, assentientem habeo Constantium Imperatorem *L. 16. C. de Episc. & Cler.* ubi fateatur, Rempublicam magis Religionibus, hoc est, Religiosorum suffragijs, quàm corporis officijs, laboribus, & sudore constare. Jejunum nimis censeo calamum meum, ut Cartusianam in Templo pietatem ac modestiam adumbret. Floridiorem alium S. Petri Claniacensis substituo, qui *l. 2. Mirac. c. 28.* de Cartusianis ait: *In Ecclesiam cuncti conveniunt, oculis in terram demissis, cordibus Cælo infixis, Deo preces, Deo gratiarum actiones persolvunt, totumq; suum tam exteriorem, quàm interiorem hominem, habitu, voce, vultu, rebus visibilia excedentibus, spretis cunctis alijs, intentum, imò affixum esse ostendunt.* Vidisset terrestres hos in Ecclesiæ Hierarchia Angelos Carolus Magnus Imperator, & rursus suam illam paræmiam repeteret. *Si Ecclesiarum DEI servis munificentiam nostram impartimur, eorumq; studijs libenter obsequimur, id nobis ad Augustalis excellentiæ culmen proficere credimus. Sigon. l. 4. de Regn. Ital.* Est nimirum quotidianâ experientiâ comprobatum, & sanioribus Principum animis altè insculptum illud S. Leonis Papæ epiphonema: *Tunc Christi dexterâ Imperium de-*

*senditur, quando Ecclesiae status inconcussus
servatur. Epist. 25.*

Si Doctrina, Magni Augustini iudicio,
*est machina, per quam structura charitatis af-
surgit*, haud difficulter Doctrinae apicem è
Cartusianae Charitatis celsitudine dimetie-
ris. Frustrà ego operam collocarem in enu-
merandis ex hoc sacro Ordine Authoribus,
quos iusto volumine comprehendit Theo-
dorus Petrejus, illudque Bibliothecam Car-
tusianam inscribit. Inter sexcentos solùm
Dionysium Richelium commemoro, qui
tot in quolibet scientiarum genere libros
edidit, ut solus illorum Indiculus, nudis ti-
tulis & Operum initialibus vocibus con-
stans, iustae magnitudinis Tractatum exa-
quet. Ut adeò verè pronuntiàrit Thomas
Bosius *l. 22. de Sign. Eccles. c. 24.* à Mundo
condito non extitisse Richelio parem, qui
tantam doctrinam cum sanctitate adeò in-
signi conjunxerit. Tantum quippe est Au-
thoris hujus prodigium, ut Eugenius IV. in
hæc de illo verba proruperit: *Latetur Mater
Ecclesia, quæ talem habuit filium.* Quòd si
curiosus scire cupias, unde tanta Cartusia-
nis intra latebras suas doctrina? quemlibet
illorum tibi respondentem audi: *De excelsis*


misit

misit ignem in ossibus meis, & erudivit me.
Thren. 1.

Si verba duntaxat movent, exempla verò trahunt; rectius silent Cartusiani, quàm loquantur. Major enim in trahendo reperitur efficacia, quàm in movendo. Quanta, & quàm efficacia in trahendo ad salutem proximo sint Cartusianorum exempla, sancto non minus, quàm erudito calamo refert alter ille Inalpinus Borromæus, Franciscus de Sales *l. 8. c. 10.* Apprimè de Cartusianis pronuntiat recens ac celeberrimus è Societate Jesu Scriptor, Theophilus Raynaudus, *in Hag. Exod. de S. Brun. p. 7. §. 5. Prædicatio eorum muta, & per exempla monstrans viam Cæli, plus profecit Ecclesiæ Dei, & plura in eam spiritualia ac temporalia bona intulit, quàm innumera era sonantia & cymbala tintinnientia multis sæculis effecerint.* Nimirum Cartusia in frugiferâ Ecclesiæ Catholicæ arbore radix est, delitescens quidem, & intra terræ viscera sepulta, sed tamen universæ arbori succum vitæ subministrans. An tu proinde inutilem censeas radicem, quòd lateat? radicem aufer, & arbor exarescet.
Si radix sancta, & rami. Rom. 11.

Neque


Neque verò existimes, hæc, quæ attuli, Cartusianorum ornamenta solis primis Religiosæ hujus familiæ inquilinis fuisse communia, & pro solitâ rerum humanarum vicissitudine in posteris defecisse. Peculiaris enim ista est Cartusiæ prærogativa, ut vocetur *Ordo nunquam lapsus*. Etsi enim omnes reliqui Ordines sacri inter Mundi pulveres non nihil aliquando remiserint, & novis ad recuperandam primævam formam penicillis habuerint opus, ille tamen ab Anno 1084. cœpti Ordinis, in hanc usque diem nullâ unquam reformatione indigebat, eâdem semper consistens specie, omnibusque Mundi injurijs superior. Testem tibi sisto locupletem, Alexandrum IV. ità eos alloquentem: *Religio vestra, ut columba mitis & humilis, pulchra per totum aspicitur, omnem à se rugam enormitatis abijciens, & maculam deformitatis excludens, vigilantibus illis, qui paternæ sollicitudinis in eâ gerunt officium, quòd nulla ibidem vitiorum spina possint succrescere. Propter hunc enim sanctæ operationis effectum nunquam Ordo vester officio alienæ Visitationis vel correctionis equit. Vel ipsa Natura Pontificio huic testimonio fidem conatur addere, quando non tantùm Cardanus refert,*
 sed



sed etiam experientia comprobat, nullum
in Cartusianis domibus nasci cimicem. Cùm
enim, ex Aristotelis sententiâ, cimex nascatur
ex putredine & corruptione, mirum non
est, nullam ei esse genesin intra Cartusiam,
incorruptam adhuc, & primævo virtutum
succo imbutam. Ut adeò inter sanctas &
purissimas has delitias in beatâ solitudine, &
solâ beatitudine suâ constitutos meritò felices
dicat Cartusianos Mellifluus Bernardus
Ep. 12. Felices, inquit, quos abscondit in tabernaculo suo in die malorum, in umbrâ alarum suarum, sperantes donec transeat iniquitas.
Verissimè Poëta :


*Quàm dulce est, socium esse sui, Mundog, silere,
Et soli narrare sibi ! tria tempora secum
Rimari, lapsosq, annos, annosq, futuros,
Et si quid medium esse potest :*

Quamobrem securus meum de Divinâ
Contemplatione sacrisq; Exercitiis libellum
ad Cartusiam vestram contendere jubeo,
sympathetico vitæ vestræ impulsu admittendum.
Et si Concanonico meo Martino Navarro concessum fuerit, ut in laudes vestras
excurreret, dum *Comment. 3. de Regul. Cartusiam vocat Carcerem, excludentem corporales*
les



*les voluptatès, & Paradisum omnium spiritua-
lium deliciarum.* Si Theodidacto meo Con-
canonico Thomæ Kempensi permissum fue-
rit, ut non tantùm Magni Gerardi Vestri vi-
tam conscriberet, sed ibidem etiam, maxi-
mè cap. 4. in Cartusiæ laudes prolixè differe-
ret; ita quoque passuros Vos credo, ut &
ego illius encomium subjungam, &, quod
S. P. N. Augustinus *l. de Morib. Eccles. c. 31.* de
totâ Ecclesiâ dixit, ego attonitus de Cartu-
siâ pronuntiem: *Hos mores, hanc vitam,
hunc Ordinem, hoc institutum si laudare velim,
dignè non valeo.* Verbo dico; qui celsissi-
mum sacri Ordinis vestri Caput ac Instituto-
rem, S. Brunonem, à Canonicis Regulari-
bus Ecclesiæ Rhemensis accepistis, etiam
hunc ab infimo Canonicorum Regularium
membro libellum eo accipite affectu, quo
porrigitur.

Officij mei ratio nunc postularet, ut Rma
& Amplmæ Dominationis Tux commensu-
ratas cum sacro suo Ordine virtutes, & sin-
gularem illam industriam recenserem, quæ
integram Cartusiam Maurbacensem è rui-
nis Turcicis in splendidissimam formam
erexisti, & sacram, totâq; Austriâ celeberrimam disciplinam regularem conservâstis
illiba



illibatam. Mearum partium nunc esset, ut
Adm. RR. Paternitatum Vestrarum insi-
gnem cum suo Reverendissimo capite con-
cordiam, & diffusa per universam patriam
virtutum ac scientiarum lumina commemo-
rare; sed consultò his parergis abstineo,
ne in modestiæ ac humilitatis vestræ termi-
nos offenderem. Ergò ut hunc, quem in-
tegerrimo affectu porrigo, libellum æqui
consulatis, unicè rogo, & me spiritualis
beneficentiæ Vestræ gratiis impensè com-
mendo.

*Reverendissima & Amplissima
Dominationis Vestræ
Adm. Reverendarum Paterni-
tatum Vestrarum*

Servus in Christo

AUGUSTINUS ERATH,
Can. Reg.

X

LI-